



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Sylva Cogitationum Sacrarum Pro Cathedra Seu Conceptus Prædicabiles**

Ex Præstantissimis Authoribus collecti ; Et In tres Classes divisi

Complectens Dominicas Per Annum

**Höger, Franz**

**Ingolstadij, 1726**

**VD18 90197089**

Dominica V. post Epiphan.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53055](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53055)

littus terra, iter mare, portus cœlum est, simulque docet I. in littore non hærendum. II. in viâ pericula evitanda. III. in portum merita invehenda esse. *Diarium Sanctorum P. Grossez. 12. April.*

*Periculum hominis ubique.*

THESIS X. *Ecce motus magnus.* Matth. 8. v. 24. I. Nec homo est, qui non sit in periculo salutis suæ, etiam si sit Apostolus. II. Nec Societas aliquem securum facit salutis, etiam Christi præsentia. III. Quævis creatura potest hominem perdere, vel ventus. Ita Apostolos in præsentia Christi ventus in periculum adduxit. *Durand Doct. Theol. hic part. 2. Character. Sanctor.*



## DOMINICA V. post EPIPHAN.

*Judicium temerarium.*

THESIS I. *Zizania in medio tritici.* Matth 13. v. 25. Judicium temerarium est illicitum, & injustum. I. Ex defectu Authoritatis, & Jurisdictionis: temerariè enim judicans offendit Deum, cujus Authoritatem sibi arrogat;

gar: offendit proximum, quem in sua mente diffamat; offendit semetipsum, nam aliorum iudicio, & insuper pœnæ se mancipiat. II. Ex defectu Notitiæ, & Cognitionis: temerariè enim iudicans actiones indifferentes sinistrè interpretatur; dubias malas suspicatur; bonas de prava intentione culpate conatur. III. Ex defectu Probitatis, & Dilectionis: nam iudicandi temeritas oritur ex præsumptione & superbia; animadversione & invidia; perversitate & malitia. Vivien. Tertul. Prædic. verbo *Judicium temer.*

THESIS II. *Cùm autem dormirent homines.* Matth. 13. v. 25. Nullum periculum maximum periculum. I. Quia in hoc statu nullus timor apud Bonos: Multi enim res adversas timent, res prosperas non timent, cùm periculosior est res prospera animo, quàm adversa... adulterium enim simul & homicidium non fecit David, cùm persecutorem Saulem pateretur, S. Aug. hom. 21. ex quinquaginta. II. Nulla castigatio apud Malos: nam ut S. Chrys. hom. 6. ad Popul. Advertit: Peccator tunc maximè miser est, cùm non punitur, & grave nihil patitur. Peccatum sanies est,

pœna ferrum medicinale, sicut igitur saniam habens &, si secatur, malè habet, & cùm non secatur, est in majoribus malis. ita ille.

*Cur mali  
tolerati?*

THESIS. III. *Zizania in medio tritici.* Matth. 13. v. 25. Hanc permutationem Deus permittit, ut inde maxime eluceant ipsius I. *Misericordia*, quæ tolerat peccatores, ut ad frugem redeant. II. *Providentia*, quæ bonis exercitium virtutis inde suppeditat. III. *Iustitia*, quæ quò seriùs, hòc acriùs, & majori ex dilatione apparatu se ostendat. *Wespin.*

*Diabolus.*

THESIS IV. *Inimicus homo homini fecit.* Matth. 13. v. 28. I. Diabolus plus nocet, cùm minùs nocet. II. Evehementer, cùm latenter. prius patet quòd homines minora damna non apprehendant; posterius, quòd minùs resistendum sint parati.

*Homo Diaboli instar.*

THESIS V. *Inimicus homo homini fecit.* Matth. 13. v. 28. Homo locutenens diaboli. I. Sunt homines, qui tentant more diaboli. II. Qui peccant more diaboli. III. Qui prosequuntur Justos more diaboli: ut bene S. Chrysostomus

*solog. de Herode dicat : Sciebat diaboli re-  
nere locum, implere personam. Lege sis  
Didac. Nyssen. Dom. 3. Quadrag. S. 7. & 6.*

**THESIS VI.** *Cùm dormirent ho-* **Somnus:**  
*mines. Matth. 13. v. 25.* A somno pec-  
catorum excitare nos deberent I. Somni  
vanitas. II. Tempus Gratiae. III.  
Hostium insidiæ. IV. Propinquitas  
mercedis. V. Præsens calamitas. *Fa-  
ber Dom. 1. Advent. Conc. 1.*

**THESIS VII.** *Cùm dormirent ho-*  
*mines. Matth 13. v. 25.* I. Est som-  
nus corporis. II. Est somnus animæ.  
Audi verba S. Augustini: Quid est vi-  
gilare? Utrique non dormire; quid est  
dormire? est somnus animæ, est somnus  
corporis. Somnum corporis omnes  
debemus habere, quia si non habe-  
tur somnus corporis, deficit homo,  
deficit ipsum corpus. Illud autem ca-  
vere debemus, ne ipsa anima nostra  
dormiat, malus enim est somnus ani-  
mæ. Bonus somnus corporis, quo  
reparatur valetudo corporis; somnus  
autem animæ est oblivisci Deum suum,  
*Quæcunque anima oblita fuerit Deum su-  
um, dormit. ita August. tom. 8. in Psal.  
Deus Deus meus ad te &c.*

D 5

THE

*Peccatorū  
catena.*

THESIS VIII. *Alligate ea in fasciculos. Matth. 13. v. 30. O quot fasciculi peccatorum connexorum; I. Filia superbè ornata. II. Et Mater, quæ eam ornavit. III. Et Juvenis, quia illam amavit. IV. Et ancilla, quæ suavit. V. Et Pater, qui non corripuit. VI. Et Concionator, qui non redarguit. En qualis cumulus peccatorum! Faber, in Sylva nova hinc Them. 5. n. 7.*

*Cur mali?*

THESIS IX. *Usque ad Messem. Triplex quæstio formari debet. I. Cur Deus malos in hoc mundo diu vivere sinat? R. ut Deus Clementiam suam commendet; Justitiam suam manifestet; Potentiam suam patefaciat. II. Cur Deus malos in hoc mundo Bonis commistos esse velit? R. ut per Bonos Mali convertantur; ut per Malos Boni exerceantur; ut inter malos boni, qui perseveraverint, gloriosius coronentur. III. Quomodo se gerere debeant Boni, qui in hoc mundo inter malos mixti sunt? R. debent lucere iis verbo, & exemplo; cavere, ne & ipsi mali fiant; fugere, si periculum casus prævideant. La Selve hinc tom. 1. fol 145.*


THE-

THESIS X. *Vis, imus.* Matth. *Desideriū*  
 13. v. 26. Desiderium quidem bonum, *nimum.*  
 I. sed vehementia desiderii mala est. I.  
 Nam turbat pacem animæ motu nimio  
 cogitationum. II. Extinguit Grati-  
 am præcipitando illius actus. III. Im-  
 pedit Deum, ne nobiscum agat, tur-  
 bando ipsius actiones. IV. Ostendit,  
 quòd agamus solo imperu Naturæ, de-  
 struendo bonam intentionem. *Cras-*  
*set. Confid. feria 5. post Dom. 5. Epiph.*

THESIS XI. *Inimicus homo.* *Diabolus.*  
 Matth. 13. v. 28. I. Non est peior  
 Diabolus, quàm *Diabolus-Homo.* II.  
 Immo plus timendus diabolus in hu-  
 mana specie, quàm homo diabolum  
 indutus, quia Diabolus-homo (ini-  
 micus homo) tanta malignitate, tan-  
 tòque nocendi studio se gessit, ut se-  
 metipsum superasse, & à dæmone in  
 hominem transisse videatur. *Anton. Ve-*  
*lasquez Annot. 1. in ep. 1. ad Philipp. Sa-*  
*tyra sanctificata P. Ferri Discurs. 2.*

THESIS XII. *Cùm autem dormi-*  
 rent. Matth. 13. v. 25. Somnus hic *Occasio*  
 occasionem præbuit inimico. *mala.* I. Qui  
 occasiones malas timent, merentur ab  
 iis præservari. II. Qui eas querunt,  
 me-

merentur à Deo desereri. III. Qui sine  
sua culpa in eas incidunt, & Dei misericordiam  
ricordia & hominum commiserationem  
sunt digni. *Diction. Apost.*



## DOMINICA VI post EPIPHAN.

*Peccatum  
Veniale.*

**THESIS I.** *Minimum quidem est  
in omnibus seminibus. Matth. 13. v. 31.*  
Peccatum Veniale ex triplici argumen-  
to vitandum est. I. Quia disponit ad  
peccata mortalia. II. Quia Christus  
afficit tormentis omnibus, excepta  
morte. III. Quia meretur poenas Pur-  
gatorii. *Grossez S. J. Diar. Sanctor. 13  
Sept.*

**THESIS II.** *Minimum quidem est  
Matth. 13. v. 32.* Ita videtur pecca-  
tum Veniale; & tamen Peccata Venialia  
I. Animam maculant. II. Multis bo-  
nis privant. III. Disponunt ad gravio-  
ra. IV. Poenam inferunt. V. Deum  
offendunt. VI. Animam obruunt mul-  
titudine. *Faber; Dom. 5. post. Pent. Conc. 3*

THE